



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

LXXX. Differentia 6. Iure Canonico neque pœnæ, neque arrhæ promisso in
matrimoniis valet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

Iure Canonico neque pœnz, neque arrhæ promissio in matrimoniis valet. *c. Gemma 29. De sponsal. argum. à pari sumpto c. inter corporalia. De translat. prælat. At Iure civili pœnz quidem promissio non valet. l. Titia. 134. 7. De verb. oblig. Valet tamen promissio arrhæ. l. fin. c. De sponsal. Bartol. 56. Io. Bapt. à S. Blasio 102. Galuan. 28.*

I. **C**asum in citat. *c. Gemma* tali modo *Gloss.* proponit. Teberga filia Gemmæ, cum esset infra annum septimum constituta, contraxit sponsalia cum Petro filio B. de Alferio, præsentibus ipsa Gemmâ, & B. prædicto pœna fuit appositâ à parentibus, ut pars, quæ contraheretur, pœnam alteri parti persolveret. Postmodum dicta T. contraxit matrimonium cum alio C. nomine Unde hac occasione dictus B. à prædicta Gemma pœnam in stipulatione appositam nititur extorquere, unde conquesta est Pape (Gregorio IX.) qui respondit. Cum matrimonia libera esse debeant, veritate compertâ dictum B. per excommunicationem compellendum esse, ut à petitione pœnz desistat.

II. An autem eadem arrhæ ratio sit. ambigitur? affirmativam tenent aliqui, cum *Gloss.* in præsentî cap. quia non minus, quam pœnz appositio matrimonij libertatem impedire videtur. Sed communior opinio contrarium tuetur: eò quòd Iuris civilis deposito nullo canone abrogetur. Manifestu quippe est, arrhas legibus permitti, etiam centum millium sponsione, quæ summa à non servante

fidem quadruplo reddenda sit.

Nam quadrupli pœna hodie tantum ex conventionione valet, uti *Gloss.* annotat ad *l. Mulier iuris sui. c. De sponsal. & arrhis.* Quam pœnam licet deberi, antequam exigatur, *Paludan. Petr. Navar* alijq; nonnulli dixerint, magis tamen probabile est, tunc primum deberi, cum a parte læsâ depositur. *Covar. in 4 Decretal. Par. 2. c. 6. §. 8 Silu 7 Pœna n 14. Less. c. 20 n 30. Coninck Disput. 2. De obligat. sponsal. Dub. 4. n. 19* Non enim debetur ea pœna, nisi ex conventionione partium. Ac proinde non sponte, nec ludicis imperio, sed partis læsæ arbitrio exigenda est. Quod etiam ex intentione contrahentium apparet. Ideò namque à partibus eiusmodi pœna constituitur, ut per se, & absque iudicis auctoritate alter alterum cogere possit ad solvendum. Nilominus, si vel de tempore, vel quantitate debiti aliqua orta controversia fuerit, ad iudicis tribunal aditus patebit.

* *

*